Poenīs captus est, omnēs cruciātūs aequō animō sustinuit. 8. Germānī antiquī in pugnam prōcēdentēs arma manibus concutiēbant. 9. Aegýptus per Octāviānum imperiō Romānō adiecta est. 10. Virtūs sōia neque datur donō neque accipitur. 11. A Deō pūrae, nōn plēnae, manūs aspicientur. 12. Effodiuntur opēs irritāmenta malōrum. 1. Cicerō ad Atticum haec scripsit: Caesar mihī litterīs hūmānissimīs grātulātur et omnia pollicētur. 2. Cicerōnīs aequālēs antiquōs ōrātōrēs magīs admirābantur, ipse suōrum temporum ēloquentiam antepōnebat. 3. Maxime admiram ur eum, quī pecunia nōn movētur. 4. Maxima culpa est in eō, quī et vēritātem aspernātur et in fraudem obsequiō impellī tur. 5. Miseros spēs consōlātur. 6. Liberī parentēs verentur, servī dominum metuunt. 7. Nunquam mails aliēnīs laetābimur. 8. Hominēs strēnuī apium dīligentiam, formicārum sēdulitātem imitābuntur. 9. Lēgēs sēcūritātem et tranquillitātem civitatīs tuentur. 10. In omnibus calamitātibus bonos bona conscientia consōlātur. 11. Aegýptiī omne genus bestiārum venerabantur. 12. Parentēs verērī dēbēmus. 13. Īmprobos ad virtūtem stimulare et hortārī dēbēmus. 1. Tempora lābuntur. 2. Magnos hominēs virtūte mētimur nōn fortūnā. 3. Iocīs modicīs dēlectāmur, immodicīs īrascimur. 4. Nōn minus nostra sunt [ea] quae animō complectimur, quam [ea] quae oculīs intuēmur. 5. Nōn sōlum ipsa fortuna caeca est, sed eōs etiam plērumque efficit caecōs, quōs complexa est. 6. Adversa ex secundis, ex adversīs secunda nascuntur. 7. Oculī saepe blandiuntur et mentiuntur. 8. Ex cupiditātibus odia et discordiae nascuntur. 9. Mortem praemātūram sed gloriam aeternam Achillēs sortītus est. 10. Epaminondās Tliēbānus nē iocō quidem mentiēbātur. 11. Philippus, rex Macedonum, dum bellum mōlitur contrā Persās occisus est. 12. Amnīs īlābitur ēt lābētur in ōmne volubilīs aēvum. 1. Sī patriae communī omnium parentī gratī erī tis, eōrum virōrum, quī dē patria optimē meruērunt, virtūtem imitabiminī; sī virtūtem illōrum virōrum imitatī eritis, et vōbīs et patriae glōriam comparābitis. 2. Concordiā rēs parvae crescunt, Discordiā maximae dilabuntur. 3. Quī aliīs insidiābitur, ipse lābētur. 4. Audī multa, loquere pauca. 5. Homō sapiens loquētur et tacēbit rectō tempore. 6. Tacere saepe melius est quam loquī. 7. De mortuīs bonī hominēs nihil nisī bonum loquentur. 8. Catō filium hīs dictīs hortātus est: Ex perire clē mentiam Caesaris. Leonī, quī ōlim vēnābātur, sociī fuērunt canīs et lupus. Nactī sunt ingentem cervum. Tum leō in trēs partēs aequālēs praedam dīvisit et ad socios suōs ita locūtus est: “Primam partem sūmō, quia rex vester sum; secundam quoque tribuētīs ducī vestrō; tertiam sī tetigeritis, inimicos vester erō. Sic im probu m illud animaī ūniversam praedam dēvorāvit. Intereā canīs et lupus tristēs assidēbant”. 1. Filiī, verēminī parentēs. 2. Innumerābilia bona Deus generī humanō largītus est et cotidiē largitur. 3. Homō bonus nōn mentiētur, nam turpe est mentilī. 4. Eī hominī, quī mentitus erit, fidem nōn habēbimus. 5. Quī tibī laudem tribuit, quam nōn meritus es, īs tibī blanditur. 6. Quī officiō suō functus erit, īs glōriam assequētur et omnium bonorum hominum laudem merēbitur. 7. Scýthae aurum et argentum nōn appetēbant; lacte et melle vescēbantur, pellibus ferārum aut mūrium ūtēbantur. 8. Multī hominēs ōlim in Graeciam ad Olýmpia proficiscēbantur. 9. Dulce et decōrum est prō patria mori. Lupus forte capram in alta rūpe conspicātus est. “Cūr nōn”, inquit, “sterilia saxa relinquīs et in amoenōs campos descendis?” Sed capra, quae fraudem sensit, respoudif Nōn placet dulcia antepōnere salūtāribus.” 1. Amēmus Deum. 2. Vītēmus perīcula vitae ōtiōsae. 3. Prūdentiā vītēs perīcula, vir strēnue. 4. Utinam clēmentiā vestrā et patientiā, filiī, odium inimicōrum vestrōrum superētis. 5. Spērēmus [ea], quae optāmus; sed quicquid accidit, aequō animō tolerēmus. 6., Utinam in rēbus secundīs superbiam et arrogantiam vītāvissēmus! 7. Nē mūtēmus amicōs. 8. In rēbus adversīs nē despērēmus, in rēbus secundīs nē sīmus superbī. 9. Utinam conscientia tua bona esset, Atareе! 10. Utinam modestior et prūdentipr fuissēs, vir praeclāre! 11. Sit mens sana in corpore sanō! 12. Mōrēs meī gratī sint omnibus hominibus! 13. Herī in oppidō multī erant mīlitēs. Utinam ibī fuissem, nam multōrum militum aspectus mihī est grātissimus. 1. Puerī, sī modestī eritis, ā Deō et ā probīs hominibus laudābiminī; semper igituf superbia vītētur et licentia. 2. Utinam semper laudēmur ā probis, tum nihil cūrābimus sī ab improbīs vituperābimur. 3. Utinam inox victoria nostrōrum nuntiētur. Immō verō utinam iam nuntiārētur. Utinam victoria nostra servēminī, cīvēs. 4. Vitia rādīcitus exstirpentur: et tū, ō puer, principiīs obstā: sērō medicina paratur, Dúm mala pēr longās cōnvaluere morās. Olim in proeliō milēs quidam amicō dixit: Utinam nostrārum cōpiārum numerus duplicatus esset, nam magnae sunt cōpiae hostium. Cuī ille respondit: Sententiam tuam, amice, baud probō. Die potius: Utinam cōpiae hostium duplicātae essent. Nam peritia et fortitūdō nostrōrum multō maior est quam hostium. 1. Curate, fīlīī, ut fortēs vōs praebeātis. 2. Cautī sitis; curate tamen nē omnibus periculīs terreāminī. 3. Praecepta divina monent pestem. 4. Cura ut valeās. 5. Orō. fīlīī, ut assentātiō procul ā vōbīs āmoveātur, quae nōn sōlum amicō, sed nē liberō quidem digna est. 6. Nerō urbem Rōmam incendit, ut Trōiae ardentīs imaginem habēret. 7. A corpore tuō removeātur omnīs virō nōn dignus ornātus. 8. Commeant mercātōrēs in multās terras, ut omnium rērum copia patriam compleant. 9. Utinam omnēs praeceptīs Deī pareant. 10. Utinam facultātēs animī et corporīs semper exercuissēmus. 11. Utinam, mī fīlī, facultātēs animī et corporīs semper ā tē exercitae essent. 12. Curate, puerī, ut memoriam exerceātis; sed curate ut, nōn sōlum memoria, sed etiam omnēs facultātēs ā vōbīs exerceantur. 1. Hannibal cum saepe vicisset Rōmānōs, maestus cessit ex Italiā ut patriae succurreret. 2. Edimus ut vivāmus, nōn vivimus ut edāmus. 3. Dēmōnax philosophus cum vidēret hominem stultum veste splendida ornatura, prehendit vestem et: Antea, inquit, tuam vestem ovīs gestābat et ovīs erat. 4. Alexander Macedō cum in Sigēō ad Achillīs tumulum astitisset, “Fortunatās es”, inquit, “adulescens, nam tuae virtūtīs Homērum praecōnem invēnistī”. 5. Seneca haec ad amicum scripsit: Ante senectūtem curavī, ut bene viverem; in senectūte cūrō, ut bene ē vita dēuēdam. 6. Cicerō diligenter vigilābat, nē rēspublica ā nefarīīs hominibus subverterētur 7. Lacaena cum filiī in in proel ium misisset et clē morte ēins nuntium accēpisset: ‘idcircō’ inquit ‘genueram, ut pī ō patria occumberet. Leō senex, cum nōn satīs rōborīs habēret ad victum comparandum, callidum adhibuit consilium, ut vitam sustentāret. Morbum simulābat et in spēluncā iacēbat ut adventum bestiārum silvae exspectāret. Bestiae autem advēnērunt ut rēgem aegrōtum salūtārent. Quās, cum leō comprehendisset dēvorābat. Cum multae bestiae ab eō consumptae essent, etiam vulpēs appāruit ut pristinō rapinārum sociō dolorem dēclārāret. Vulpēs autem cauta ante spēluncam animal illud callidum salutāvit. Quam cum leō aspexisset, blandīs verbīs rogāvit ut intrāret. “Cūr cessās”, inquit, “spēluncam meam intrāre?” At ilia: “Vestigia mē terrent”, inquit, “omnia enim cēterārum bestiārum vestigia ad spēluncam tuam spectant, nulla retrorsum”. Quae verba cum dixisset, tergum vertit. 1. Semper observēmus auream illam rēgulam: Audiātur et altera pars. 2. Diligenter pastōrēs ovilla custodiant, nē lupus inter ovēs saeviat. 3. Nunquam cupiditātibus oboediāmus. 4. Capitōlium cum custōdēs in impetū Gallōrum dormirent, ab anseribus custōdītum et servātum est. 5. Multī adulescentēs Romanī Graeciam petēbant, ut doctorēs philosopbiae audirent. 6. Isocratēs cum infirmitāte vocīs impedire tum in publicō dicere, ōrātiōnēs scripsit. 7. Numa Pompilius, ut populum ferum religione molliret, sacra multa instituit. 8. Anaxagorās philosophus cum mortem filiī audivisset, vultum nōn mūtāvit, sed: “hūmāna sors”, inquit, “filiō contigit; nam mortālīs erat”. 1. Ut ad cursum equus, ad arandum bōs, ad indāgandum canis, sic homō ad intellegendum et ad agendum nātus est. 2. Morēs inter lūdendum simplicius sē dētegunt. 3. Mens humana discendō alī tur et cogitandō. 4. Audendō atque agendō rēs anglicana crēvit. 5. Lūdendī quendam modum retinere dēbēmus nē in aliquam turpitūdinem dēlābāmur. 6. Dialēctica est. ars vēra et falsa diiūdicandī. 7. Iustitia in suum cuique tribuendō cernitur. 8. Virtūs est colenda. 9. Ex vita discēdendum est nōn tanquam ex domō sed tanquam ex hospitiō: commorandī enim nātūra nōbīs dēversōrium nōn habitandī locum dēdit. 10. Exercendum corpus est, ut consiliō ratiōnique oboediat. 11. Dēlenda est Carthāgō. 12. Cavendō tūtus eris. 1. Multī hominēs ōlim in Graeciam profectī sunt spectātum Olýmpia. 2. Themistoclēs cum civium suffrāgiīs ē civitāte ēiectus esset, Argōs habitātum concessit. 3. Philippus cum spectātum lūdōs procēderet, iuxtā theātrum ā Pausaniā occīsus est. 4. Nihil suāvius est audītū quam fidōrum amīcorum consilia. 5. Virtūs difficilīs inventū est: rectōrem ducemque dēsīdērat, sed vitia etiam sine magistrō discuntur; tamen suāvīs Christī disciplina viam bene beātēque vivendī reddit facilem atque iūcundam. 6. Cum bellum Helvētiōrum confectum esset, tōtius ferē Galliae lēgātī ad Caesarem grātulātum convēnērunt. 7. Tōtius ferē Galliae legatī ad Caesarem pacem petitum convēnērunt. 8. Aeduī ōlim lēgātōs ad Caesarem misērunt auxilium contra Helvētiōs rogātum. 1. Terra nōs nascentēs excipit, nātōs alit, postrēmō mortuōs gremiō suō complectitur. 2. Turpe quid ausūrus tē ipsum sine teste timē. 3. Pompēius in aciē Pharsālicā ā Caesare victus, fugā quaerens saltitem, in insulam Cýprum ciassem direxit, ut aliquid in eā virium contraheret. 4. Populus Rōmānus, cum in theātrō Vergilī versūs audivisset, surrexit ūniversus, et forte praesentem spoetantemque poetam venerātus est sic quasī Augustum. 5. Ubī intrāvimus Catōnīs cubiculum, ipsum sedentem et librum intrā manūs tenentem dēprehendimus. 6. Nullum vitium turpius est quam avāritia, praecipuē in prinēipibus rem publicam gubernantibus. 7. Cicerō haec scribit: Senectūtem ut adipiscantur omnēs optant; eandem accusant adeptī. 8. Stultus est, quī ecum emptūrus nōn ipsum inspicit, sed stratum ē ius ac frēnōs. 9. Alexander ad Iovem Hammōnem perrexit, consultūrus et dē rēbus futūrīs et dē origine suā. 10. Iugurtha mīlitēs hortātus ut victōriārum suārum memorēs essent, Romanos aggressus est. 11. Fīdēnātēs aliquandō lēgātōs Romanos ad sē missōs interfēcērunt. 12. Puerī Lacedaemonii verberum dolōre cruciatī nōn gemēbant. 13. Lýsander Lacedaemonius magnanī suī relīquit fāmam, inagīs fēlīcitāte quam virtūte partam. 14. Alexander moriens ānulum digitō dētractum Perdicene trādidit. 15. Luna opposita solī radios ēius obscūrat. Cancer filiō: Recta, inquit, via procēde! cūr oblīquīs semper gradibus prōcēdis? At filius respondet: Mī pater, vestigia tua animadvertō. Luscinia et acantbīs ante fenestram in caveīs inclūsae pendēbant. Luscinia cantum incundum forte ēdiderat. Tum pater filiō ostendens avēs eum interrogāvit: Auctōrem-ne cantūs agnoscis, mī fili? Statim fīlius respondit: Interrogās \ Acanthīs sonōs suā vēs ēdidit; pennās enim splendidās habet. Dionýsius týrannus quanquam multos amicōs habēbat. Tamen crēdidit nēminī, sed barbarīs hominibus corporīs custodiam committēbat. Et, quia insidiās hominum metuit. Filiās suās tondēre docuit. Nōlō enim, inquit, hominī ullī collum committere. Mulier vidua diurnō quaestū vitam sustentābat et sub gallī cantum cotīdiē ancillās ad opus excitābat. At illae, diuturno labore fatīgātae, tandem gallimī domesticum occīdere statueront. Iam verō tanquam ē fumō in flammam se induxerant nam domina dē bōra incerta, saepe iam mediā nocte eās excitābat Agitābat mercātor equum et asinum onustos sarcinīs. Asinus itinere fatigatus equō: “Dēme”, inquit, “onerīs meī partem”. Sed equus precēs comitis neglexit. Paulō post asinus labore consumptus in via corruit et efflāvit animam. Mercātor igitur omnēs sarcinās atque insuper pellem asinī equō imposuit. Tum ille gemens fortūnam suam: “Quam stultē”, inquit, “contempsī comitīs precēs; nam antea onus parvulum vebēbam, nunc autem gravissimum veho”. Campania erat terra ītaliae. Incolae Campāniae agricolae erant. In Campania erant aquae; itaque incolae Rōmae in ōrā Campāniae villās habēbint. In villīs incolārum erant statuae et tabulae et columnae. In ōrā Campāniae colōniae Graecōrum erant. Itaquē incolae Campāniae nōtitiam linguae Graecōrum habēbant. Patria camēlōrum est Asia. Incolae Arabiae camelos habent. Hodiē in Africā quoque camēlī sunt, sed ōlim ibī nōn erant camēlī. Patientia camēlōs ornāt, nam camēlī taurōs, equōs, asinōs patientiā superant. Industria quoque ornāt camēlōs. Industria et patientia camēlī dēlectant dominum, tarnen dominus camēlō plāgās dat. “Dā cibum camelo”, inquam, “nōn plāgās, nam camēlus vel asinum patientiā et industria superat”. Sed dominus: “Et pertinácia”, inquit, “vel asinum superati”. Itaque pertinācia camēlōrum est dominīs causa īrae. Elephantī sunt in numerō bēluārum. In silvīs Asiae et Africae sunt elephantī. Elephant! sunt in numērō deōrum incolīs Indiae. Indī elephantīs insidiās parant. Hodiē anglī quoque sunt elephantīs causa perīculī. Angl! autem bēluam sī amant, trucidant. Itaque Anglōs nōn amant elephant! Neptūnus et Mercurius erant in numerō deōrum Rōmānōrum. Neptūnus dominus erat Oceanī et fluviōrum et in Oceanō habitābat. Nautae Neptunō equōs et taurōs immolābant. Mercurius erat deōrum nuntius. Mercurius deōs astutiā dēlectābat. Nōn sōlum astūtia sed etiam ēloquentia in deō Mercuriō erat. Itaque et fūrēs et ōrātōrēs in tūtēlā Mercuriī erant. Neptunī ārae praecipuē apud fluviōs, Mercuriī ārae in viīs erant. Diana et Minerva clārae deae Graecōrum erant. Diana silvarum ferās sagittīs acūtīs necābat. Graecī antiquī iram Diānae hostiīs hūmānīs plācābant. Multae erant statuae Diānae, aureae, argenteae, marmoreae. Minerva hasta longā pugnābat. Minerva nōn sōlum dea pugnārum erat, sed etiam doctrīnae et litterārum, nam et egregia sapientia et magna peritia bellī erant in Minerva. In Capitoliō ōlim erat templum anticum Minervae. Britannia est patria mea. Magna Eurōpae insula est Britannia. In Britannia ōlim erant silvae magnae. In silvīs Britanniae multae ferae erant, nam ferae silvās magnās et densās amant. Britannī antiquī erant bellicosī. Proelia Britannōrum saepe cruenta erant. Romānī Britanniae diū erant dominī superbī, sed hodiē Britannī patriae suae sunt dominī. Nōn sōlum Britanniae sed etiam Indiae et Canadae et Austrāliae dominī sumus. Nōs neque sumus neque unquam erimus servī dominōrum superbōrum. Magister. Ubī erat Capua, Henrice?Henrīcus. Capua erat oppidum Campāniae. Campī fēcundī erant circa Capuanī. Universa Campania admodum fecunda erat.M. Erantne in Campāniā rosae et ūvae?H. Ita verō, multās vīneās et in vīneīs magnam cōpiam ūvārum Campānia habēbat. Habēbat etiam magnam cōpiam rosārum.M. Bonus ēs discipulus! Orane Campaniae amoena erat?D. Amoena erat. Itaque multa oppida in ōrā Campaniae erant. Prōmunturium Minervae ibī erat et prōmunturium Mīsēnum.M. Cūmae quoque in ōrā Campaniae erant, ubī spēlunca Sibýllae erat. Spēlunca autem Sibýllae multās portās habēbat. Templa Graecōrum multās et altās columnās habēbant. In templō erat simulacrum del aut deae et ante simulacrum āra. Templum magnam portam habēbat, sed nōn habēbat fenestrās. Simulacra deōrum saepe erant aut lignea aut marmorea; multa quoque aut aēnea aut aurea erant. Graecī hostiās nōn in templō, sed ante templum immolābant; nam ibī quoque ārae erant. Saepe laurī aut mýrtī aut pōpulī aut pini – deīs enim sacrae erant – circa templa deōrum erant. Athēnae antiquae multa et pulchra tempia habēbant. Ibī erat darum templum Minervae cum simulacrō deae: erat quoque aēneum simulacrum Minervae. Germanī antiquī nōn in oppidis, sed in agrīs habitābant. Circa tecta Germānōrum erant agrī et prata, agrīs-que propinqua erat silva. Germania autem tum habēbat immensās silvās et in silvīs lupōs, aprōs, ursōs. Pīī fuērunt Germānī, sed nōn habēbant templa aut simulacra deōrum. Etant etiam bellicosī et deīs captivos immolābant. Saepe cum Romanīs dē imperiō certābant; saepe fuērunt Rōmānīs periculōsae Germānōrum hastae longae. Vita Germānōrum antiquōrum erat dura et aspera, sed aequō animō molestiās vitae tolerābant. Alexandrum rēgem amicī aliquandō interrogābant: “Nonne tū quoque Olýmpiae certābīs”? “Certābō”, inquit, “sī rēgēs ibī cum rēgibus certābunt”. Frustrā, Trōiānī, prō uxōribus liberisque pugnātis. Nunquam ex periculīs patriam servābitis. Nusquam Trōiānīs est via salūtis. Eheu! voluntātī meae nōn obtemperābitis, nam superbia vestra vōcem meam rēpudiāt. Apollō tarnen auctōritāte suā vōcem meam confirmābit. Dōnec Helenam, mulierem improbam, intrā Trōiam servābitis, certum est arcī et oppidō exitium. Mox Graecī arcem expugnābunt, mox tōtam Trōiam incendiīs et minīs vastābunt. Nunc virī virōs in pugnā necant. Mox autem mulierēs puerīque frustrā lacrimābunt, frustrā victōrem ōrābunt, ut vita sua servētur. Populī antīquī deōs sacrificiīs plācābant. Apud Rōmānōs plērumque sacerdōs sacrificia parābat; nam sacerdōtēs iúrīs divinī erant peritī. Temporibus antiquīs Romānī deīs hominēs immolābant, postea hostiās. Dīs superīs albae hostiae gratae erant, inferīs nigrae. Sacerdōs caput hostiae ornābat corōnā atque hostiam ornātam ante templum immolābat. Dī extīs hostiae voluntātem suam indicābant. Sī omina secunda erant, sacerdōtēs exta in ārīs cremābant. Praetereā ture, vinō, lacte, melle deōs plācābant. Post sacrificia sacerdōtēs ad honorem deī epulās. parābant. Lātōna dea erat et māter Apollinīs et Diānae. Nioba nōn erat dea sed rēgīs Thēbānōrum uxor. Deīs tarnen sē aequāvit. il Cūr Lātōnae, Apollinī, Diānae,” inquit, “hostiās immolātis? Tantalus est pater meus, Atlantem et Iovem avōs appellō. Nēmō potentiā mē superat. Num Diana pulchritūdine mē aequat? Spectate liberos: num septem filiōs meōs septemque filiās cum Lātōnae liberīs aequābitis”? Thēbānī rēginae imperiō obtemperāvērunt. Lātōna autem Niobae superbiam nōn tolerāvit, et liberīs “Vindicāte,” inquit, u rēginae scelus”. Nec frustra. Nam Apollō et Diāna ad Thēbānōrum arcem properāvērunt et primum Apollō septem Niobae filiōs sagittīs necāvit. Tum Nioba: “Filiis”, inquit, “mē privāvistī, Lātōna; sed septem filiae etiam nunc mihi supersunt”. Tum Diana septem filiās sagittīs necāvit. Iam Nioba dēspērāvit, dēnec Iuppiter mulierem miseram in saxum mūtāvit. Olim avēs rēgem creābant. Tum pāvō sibi regnum postulāvit, “Nam cēterās avēs,” inquit, “pulchritūdine supero.” Tum cornix: “Sī tē,” inquit, “rēgem creāverimus, num ab aquila tūtae erimus?” Cornix aliquandō pāvōnīs pennīs sē ornāvit, et cēterās cornīcēs. parvi aestimābat. Itaque pāvōnum generī sē aggregavit, quasī pāvō esset. Sed mox fraus manifesta fuit. Pāvōnēs igitur stultam avem aliēnīs pennīs privāvērunt et ē grege suō exturbāvērunt. Aeolus, dominus et rex ventōrum, in insula habitābat. Circa insulam erant marīs immensī undae profundae. In litore autem insulae moenia aēnea et rūpēs magnae asperaeque erant. Aeolus autem ibī cum uxōre et lībertīs in magnīs aedibus habitābat. Apud Aeolum ōlim fuit hospēs magnae et fortitūdinīs et calliditātis, nomine Ulixēs. Ulixēs autem multa narrābat rēgī Aeolō dē bellō Trōiānō, dē ducum Graecōrum fortitūdine, dē moenium Trōiānōrum altitūdine, dē discordia Achillīs et Agamemnonis, dē castrōrum nāviumque perīculō, dē equō ligneō ēgregiae altitūdinis, dē expugnātiōne urbīs Graecis infestae. Datus autem est ab Aeolō hospitī Ulixī ūter, nōn vinī sed ventōrum plēnus. Apud Vergilium poētam – in Aenēide – ventī in spēluncā, tanquam in carcere, sunt inclūsī. Mira et divina et dulcia sunt Homērī carmina. Multa narrat Homērus dē bellō Trōiānō, dē vetere urbe Trōiā, dē potentī et divite rēge Priamō nliisque rēgis, dē Graecōrum ducibus populīsque. Graecī contra moenia urbīs in litore castra habēbant. Causa bellī fuit Helena, uxor rēgis Menelāī, mulier mira pulchritūdine insignis. Obsidiō Trōiae fuit diūturna propter moenium altitūdinem; nec minus propter virtūtem incolārum bellicōsōrum et fidēlium sociōrum multitūdinem. Etiam deī fortī Trōiānōrum populō nōn dēfuērunt. Aliquamdiū propter vehementem iram Achillīs castra vēnās• que Graecōrum in perīculō erant, dōnec Achillēs post caedem amicī sui Patroclī pugnīs interfuit. Necātus autem erat Patroclus ab Hectore, filiō rēgīs Priamī, virō mirā virtūte insignī. Hector autem ab Achille necātus est. Quantus dolor turn fuit in sene Priamō! quam multa ab Homēro narrata sunt dē senis Priamī dolore et dē Achille primo crudēlī, postea erga senem miserum clementī. De expugnātiōne autem urbis, dē veterum moenium ruina, de terribilī incendiō tectōrum, dē saevitiā victōrum crūdēlium, dē Trōiānōrum caede mulierumque servitūte nōn Homērus narrat, sed aliī poētae. Ā multīs Callisthenēs fēlix appellātus est, quia apud Alexandrum saepe cēnābat. Sed Diogenēs: Callisthenēs,” inquit, “tum cēnat cum Alexandrō placet, Diogenēs, cum Diogenī [placet].” Solon aliquandō inter cēnam silēbat. Itaque ā Periandrō sic interroga tus est: “Cūr solus tacēs? Tacēs-ne quia verba tibī dēsunt, an stultitiam tuam silentiō occultare studēs?” Turn Solōn: “Qui stultī sunt, nōn tacent.” Graecī, postquam dolum adhibuērunt, urbem Trōiam dēlēvērunt. Nam ecum ligneum mirae magnitūdinīs aedificāvērunt, in quo Ulixēs et comitēs latēbant. Tum reliquī Graecī ad Tenedum insulam cum omnī exercitū nāvigāverunt. Iam Trōiānī liberos sē putābant cūrīs et perīculīs; falsā rērum speciē ad spem vānam excitābantur et spē rērum prosperārum dēlectābantur. Neque equus ligneus causa metūs erat, sed nonnullī cupiēbant eum in arce collocāre. Tum Lāocoōn, Neptūnī sacerdōs, “Non dēbēmus”, inquit, “voluntātī stultōrum obtemperare. Arcuimus hostēs ā moenibus; sed frustrā Graecōs arcuerimus, sī ecum ligneum in arce collocābimus. Incendiō potius eum dēlēre dēbēmus. Pārēte mihi! Dolus subest; hostēs in equō latent. Sī prūdentēs estis, nōn frustra vōs monuerō.” Sed Trōiānī Lāocoontī nōn pāruērunt, sed ecum in arce collocāvērunt. Nocte autem Graecī, quī in equō latuerant, Trōiānīs appāruērunt, portārum custōdēs trucidāvērunt, urbem incendiō dēlēvērunt. Nōn sōlum Trōiānis, sed etiam multīs aliīs hominibus, nocuit nimia sēcūritās, et nonnullīs civitātibus causa perniciēī fuit. Āgis, rex Lacedaemoniōrum, sic aliquandō interrogātus est: “Quae disciplina praeter cēterās Spartae exercētur?” “Perītia,” inquit, “imperandī et pārendī.” Idem ab amīcīs apud Mantinēam pugnare prohibēbātur, quia hostēs numerō superābant. “Dēbeō,” inquit, “contra multos pugnare, quia multīs imperō,” Ā mūribus aliquandō contiō habita est. Mūs mūrem sic interrogābat: “Quōmodō fēlīs insidiās vitābimus?” Placuits tandem omnibus, ut fēlī alligārent tintinnābulum. “Nam sonitū tintinnābull,” inquiunt, “de fēlīs adventū admonēbimur.” Sed nēmō parātus erat alligare fēlī tintinnābulum, ornnēs enim perīculī magnitūdine ferritī erant. Ducēs et Graecōrum et Trōiānōrum maximae fuērunt fortitūdinis, et fortissimē ācerrimēque circa moenia Trōiae pugnāvērunt. Omnium Graecōrum dux fuit Agamemnon, rex potentissimus, sed superbus et iracundās et vehementiōris ingeniī quam frāter minor Menelaus. Fuit quoque magnae dignitatis senex Nestor. Orātiō Nestorīs melle dulcior erat. Et Nestor et Ulixēs erant prūdentēs, Ulixēs tamen callidior, Nestor sapientior. Achillēs autem reliquīs omnibus erat fortior, pulchrior, validior, celerior; in maiore honore erat, atque praeclāriōre erat magnitūdine animī. Achillīs vita brevissima fuit, sed glōriōsa. Necātus est flore aetātīs ā Paride, filiō rēgīs Priami. Homērus plūra narrat dē Achille quam dē reliquīs ducibus Graecōrum. Dē Aiāce quoque nōn pauca narrat, filiō Telamōnis, virō Achillī hand dissimilī. Misera fuit mors Aiācis, nam sibī mortem conscivit; miserior autem mors Agamemnonis, nam ab uxōre crūdēlissimē necātus est Trōiānīs fuit Hector tanquam scutum et gladius. Erat vir nōn minore fortitūdine quam Achillēs, sed mitiōris ingeniī. Hectorīs mōribus mōrēs Paridīs frātrīs erant dissimillimi. Ex sociīs Trōiānōrum Glaucus et Sarpēdōn fucrunt fortissimī et nobilissimī et potentissimi. Corvus in altā arbore sedet et rostrō cāseum tenet. Tum vulpēs cāseī cupida: “Salvē,” inquit, “mī corve; salvē, ō pulcherrima avium! Optimō iūre laudant hominēs gracillimum tuum corpus et mirum oculōrum colorem et pedēs teneros et collum pulchrum et rostrum acūtum. Nusquam avem pulchriōrem vidi. Nōn tarnen omnia nātūrae bona liabēs; nam vōcem nōn habēs.” Sic vulpēs. Tum vērō corvus magnā voce cantat; iamque cāseus ad rādīcēs arborīs in grāmine viridī iacet, vulpēsque praedam grātissimam laeta tenet. Corvō autem nihil est relicum praeter memoriam acerbam laudīs ēius tarn dulcis. TTnus ex militibus Leōnidae rēgī aliquandō hōc nuntiāvit: “Hostēs prope nōs sunt.” Tum ille: “lining” inquit, “nōs prope illōs sumus.” Formīcae frūmentum hieme siccābant. Ecce cicada fame cruciata ils appropinquāvit et “Cibum,” inquit, “mēcum communicate.” Huic illae: “Ubī prōxima aestāte fuistī? Cūr tū nōn cibum comparāvistī?” Ad haec cicada: “Nōn vacābam,” inquit, “nam in prātīs cantābam.” Tum illae: “Sī aestāte canta vistī, hieme salta.” Cucūlus. Mī sturne, tū in urbe fuistī. Quōmodō hominēs dē cantō lusciniae iūdicant?Stumus. Omnēs lusciniae cantum maximē laudant, nam suāvissimus est cantus hūius avis.C. Quōmodō dē alauda iūdicant? quōmodō dē merulā?S. Multī hārum avium cantum laudant; et iūre, nam nullae avēs suāvius hīs avibus cantant.C. Quōmodō dē hirundine? Hūius-ne cantum laudant hominēs?S. Nonnullī etiam hirundinum cantū dēlectantur.G. Quid vērō dē mē ipsō iūdicant?S. Hoc nescio; nusquam enim tuī cantūs fit mentiō.G. Sī ita est, postime semper dē mē ipse loquar. Ad gallīnam aegrōtam vulpēs accessit et: “Ut vales?” inquit. Tum illī gallina: “Satis,” inquit, “valeō; sed sī tū diseesseris. multō melior erit valētūdō mea,” Europa erat filia Agēnoris, rēgīs Phoenīcum. Haec dum more puellārum flōrēs in prātō legit, Iuppiter in forniam taurī conversus per mare earn in Cretain insulam abduxit. Herculēs et Tphiclēs infantēs in cūnīs iacēbant. Ecce adrepsērunt duae serpentēs, quās Iūnō miserat. Tum vērō diversum ingenium infantium appāruit. Iphiclēs enim monstrōrum adventū perterritus est et vāgītū suō parentēs ē somnō excitāvit. Herculēs autem serpentēs fortissimē comprehendit atque exstinxit. Aeternam sibī fāmam parāvit Proculus patrio in frātrēs animō. Equēs Rōmānus fuit et ikugustī amicus. Post patrīs mortem patrimōnium cum frātribus diviserat. At illī bellō civilī bona omnia āmisērunt. Tum Proculus bona sua cum īis dē integrō acquīs partibus divisit. Ad Lacedaeinoniōs nonnullōs viātōrēs aliquī aliquandō accessērunt et liaec dixērunt: “Fāvit vōbīs fortuna, modō enim latrōnēs bine discessērunt.” Tum illī respondērunt: “Non nōbis, per deōs immortālēs, fortuna fuit secunda, quod nōn incidī mus in latrōnēs, sed latrōnibus, quod nōn incidērunt in nōs.” Agamemnon bellō Trōiānō summum imperium habēbat. Duodecim ducēs praeerant singulīs exercitūs partibus. Graecorum classīs mille centum octōgintā sex nāvium erat; in hīs erant quinquāgintā navēs Achillis. Exercitus autem centum fere milium militum erat. Decern annōs Graecī cum Trōiānīs bellum gessērrnt et urbem Trōiam obsēdērunt. Achillēs inter obsidiōnem urbīs vīgintī tria oppida expugnāvit. Priamō, regī Trōiānōrum, quinquāgintā fillī erant; fortissimus eōrum erat Hector. Post decem annōrum obsidiōnem Trōia ā Graecīs dēlēta est. Rōmānī tria bella cum Poenīs gessērunt. Primum bellum Pūnicum fuit ab annō ducentēsimō sexāgēsimō quartō usque ad annum ducentēsimum quādrāgēsimum ūnum; alterum ab annō ducentēsimō duodēvicēsimō usque ad annum ducentēsimum ūnum; tertium ab annō centēsimō undēquinquāgēsimō usque ad annum centēsimum quādrāgēsimum sextum. Clārissimum trium illōrum bellōrum erat secundum. Quartō autem annō tertiī bellī Rōmānī Carthāginem expugnāvērunt et incendērunt. Incendium erat septemdecim diērum et noctium. Hōc modō dēlēta est Carthāgō. Epictētus philosophus aliquandō sic interrogātus est: “Quīs omnium mortālium divitissimus est?” “Is”, inquit, “cuī id satīs est, quod habet.” Ubī mors Pýrrhō appropinquāvit, filiī eum sic interrogāvērunt: “Cuī ex nobīs regnum tuum trades?” Tum ille: “Regnum tradam”, inquit, “eī, cūius gladius ācerrimus est”. Thalēs interrogātus est, quid omnibus hominibus commūne esset: “Spēs”, inquit; “hanc enim vel illī habent, quī nihil amplius habent”. Lýsander interrogātus est quae rēspublica esset optima: “Ea”, inquit, “quae fortibus et ignāvīs id reddit quod meruērunt”. Dārēus contra Graecōs classem sexcentārum nāvium longārum totidemque onerāriārum comparāvit, quā classe centum milia peditum et decem milia equitum in Graeciam missa sunt. Praefuērunt autem huic tam ingentī exercituī Datīs et Ataphernēs. Hī ducēs, postquam Eretriam, quae urbs in Euboeā insula sita erat, dīruērunt, copiās suās in campum Marathōnium dēduxērunt, quī campus ab urbe Athēnīs decem ferē milia passuum aberat. Athēniensēs autem decem ducēs exercitūs creāvērunt, in quibus erat Miltiadēs. In illō autem tantō discrimine rērum nulla civitās Athēniensibus auxiliō fuit praeter civitātem Piataeensium, quae civitās mille militēs misit. Itaque hōrum adventū decem mīlia armātōrum completa sunt, quae manūs summa fortitūdine cum hoste dimicāvit et clārissimam victōriam ab eō reportāvit. Hōc erat nōbilissimum illud proelium Marathōnium, annō ante Christum nātum quādringentēsimō nonagēsimō factum. Fuit igitur haec clādēs Persārum duōbus annīs post calamitātem Mardoniī”. Annus autem ante Christum nātum quādringentēsimus octōgēsimus clāde rēgīs Xerxīs insignīs est, quī rex tantīs cōpiīs praefuisse dīcitur, quantīs null’us unquam alius rex praefuerat. Classīs enim ēius fuit mille et ducentārum nāvium longārum, et terrestrēs exercitūs fuēre septingentōrum milium peditum, quādringentōrum milium equitum. Nāvium onerāriārum erant duō aut tria milia. Classīs communīs Graecōrum ducentārum sexāgintā duārum nāvium, in quibus centum quādrāgintā septem Athēniensium erant, primum ad Artemisium cum classe hostium dimicāvit. Ipse rex nōn interfuit illī proeliō, nam praefuit cōpiīs terrestribus. Inde autem paulō post discessērunt classemque ad Salaminem insulam contrā Athēnās constituērunt. Hinc autem discēdere coactī erant, quod Leōnidās, rex Lacedaemoniōrum, quī cum quatuordecim milibus Graecōrum Thermopýlās occupāverat, postquam summā cum virtūte angustiās frustrā dēfendit, ūnā cum trecentīs Lacedaemoniis, septingentīs Thespiensibus, quādringentīs Thēbānīs hostium ingentī multitūdine superātus et occisus erat. Reliquās cōpiās, quia dē Victoria despērāvit, domum dīmīserat. Tum rex Xerxēs ipsam urbem Athēnās incendiō dēlēvit. Sed superbī iūre poenīs afflīguntur. Nam mox postea ad